



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Episcopo Et Decano Et Capitulo Altisiodorensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

latas, denuntietis auctoritate apostolica nullas esse. Alioquin eis juxta formam Ecclesie relaxatis, audiat si quid fuerit questionis, & appellatione remota sine debito decidatis, facientes quod decreveritis distractione qua convenit firmiter observari. Quod si non omnes, duo vestrum &c. Datum Romae apud sanctum Petrum 1x. Kal. Februarij, anno decimo.

*EPISCOPO ET DECANO ET  
Capitulo Alisiodorensi.*

*Epist. 195.  
De regalia Au-  
tissiodorensi.  
Vide lib. 13.  
epist. 180. lib.  
14. epist. 32.  
lib. 15. epist.  
39. 40.*

**I** Vstis petentium desideriis &c. usque completere. Cum igitur carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris quicquid juris habebat in regalibus Ecclesie vestrae sede vacante, ipsi Ecclesie, divina intuitu pietatis concesserit, ita quod omnes proventus eorundem regalium & praebendae quas interim vacare contigerit, per vos, filij Decane ac capitulum, futuro Episcopo referentur, nos vestris precibus benignum praebentes assensum, concessionem ipsam, sicut pietatis studio facta est, & in ejusdem Regis authentico plenius continetur, vobis & per vos Ecclesie vestrae auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem evidentiam authenticum ipsum huic nostrae paginae de verbo ad verbum duximus inferendum. **IN NOMINE sanctae & individuae trinitatis. Amen.** Philippus Dei gratia Francorum Rex. **N**overint universi praesentes pariter & futuri quod nos intuitu pietatis & ob remedium animae nostrae & parentum nostrorum damus & concedimus in perpetuum Ecclesiae Alisiodorensi quicquid juris habebamus in regalibus Alisiodorensibus vacante sede, ita quod Decanus & Capitulum ejusdem Ecclesiae custodient regalia sede vacante, & omnes proventus qui exinde procedent, & praebendas, si quas interim vacare contigerit, ad opus futuri Episcopi, salvo servitio nostro equitationis, exercitatus, & submonitionis, sicut Episcopi Alisiodorenses nobis fecerunt. **Q**uod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate & regij nominis caractere inferius annotato praesentem paginam confirmamus. Actum Parisius anno Domini **MCCVI.** regni vero nostri anno viceesimo septimo. Astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Guidonis Buticularij, S. Matthaei Camerarij, S. Droconis Constabularij. **D**ata vacante cancella-

ria per manum fratris Guarini. ] Nulli ergo omnino hominum &c. nostrae confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Romae apud sanctum Petrum xv. Kal. Februarij anno decimo.

*ALTISIODORENSI EPISCOPO.*

**E**X parte tua fuit propositum coram nobis quod cum Archidiaconus tuus duo officia, lectoriam videlicet & scholasticam, in Ecclesia tua potestatem habeat conferendi, quia non reperiuntur qui eadem velint recipere, cum redditus non habeant competentes, idem collationem ipsorum ad jus episcopale devenire consentit, pro eo quod tu Ecclesiae utilitatem attendens proposuisti praedictis officiis congruos redditus assignare. Verum quia id sine auctoritate sedis apostolicae robur obtinere non putas, nobis humiliter supplicasti ut collationem praedictorum officiorum tibi & successoribus tuis concedere dignaremur. Nos igitur benignè tuis precibus annuentes, tibi & successoribus tuis auctoritate praesentium indulgemus ut si Archidiaconi tui consensus accesserit, praedicta officia personis idoneis liberè conferatis, postquam curaveris ad eadem competentes redditus deputare. Nulli ergo omnino hominum &c. nostrae concessionis &c. Si quis autem &c. Datum Romae apud sanctum Petrum x. Kal. Februarij, anno decimo.

*MAGISTRO P. DECANO  
Bertorij.*

**C**um olim dilectus filius Thoarcensis Decanus nostro apostolatu referarit decanatum suum contra Lateranense Concilium divisum fuisse, cujus partem te asseruit possidere, ac super hoc à dilecto filio Abbate de Tenallia, Cantore ac magistro C. Natali Canonico Xanctonensi examinari mandaverimus veritatem, & iidem nobis causam ipsam remiserint sufficienter instructam, eam dilecto filio Andreae Subdiacono & Rainaldo Acolytho Capellani nostris commisimus audendum. Coram quibus proposuit pars adversa quod eodem decanatu vacante, venerabilis frater noster Iohannes quondam Lugdunensis Archiepiscopus, tunc Episcopus Pictaviensis, assensu sedis apostolicae minimè requisito, nulla exigente utilitate vel necessitate urgente, cum in reddendis procuracionibus per hoc magis gravetur Ecclesia Thoarcensis, & per unum utriusque decanatu possit satis commodè

*Epist. 196.  
De lectoria &  
scholasticia Ec-  
clesiae Autissio-  
dorensis.  
Vide gesta Epis-  
coporum Autis-  
siodor. 2. 437.*

*Epist. 197.  
Confirmatur  
divisio decanatus  
Thoarcensis & Ber-  
torij.*